



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

4. Vitia linguæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

turam & pulchritudinem intemperantiùs jactanti Rubus:

----- Nunc læta quidem, bona sola fateris,
Et frueris nostris imperiosa malis
Sed cùm pulchra minax succidet membra securis,
Quàm velles spinas tunc habuisse meas.

In eum quoque convenit, qui res arduas, supraque vires positas temerè aggreditur, cum suo & aliorum exitio. Item ad illos pertinet, qui perturbationibus animi abrepti, velut è curru rectæ rationis excidunt. S. Ambros. lib. 3. de Virgin. cor humanum quadrigæ comparans: Sunt, inquit ejus velut quatuor equi, quatuor affectiones: Ira, Cupiditas, Voluptas, Timor. Miserrimè raptatur, quisquis has domare nescit. Scilicet evenit, quod de Phaëthonte Poëta canit:

Exspatiantur equi, nullòque inhibente per auras
Ignotæ regionis eunt: quaque impetus egit,
Hæc sine lege ruunt.

Cornelius à Lapide, in illa verba Ecclesiastici c. 30. v. 8. *Equus indomitus evadit durus, & filius remissus* (Græcè ἀπειρέσιος, id est, sibi relictus, carens fræno disciplinæ, dissolutus) evadit præceps, adducit hieroglyphicum juventutis, ejusque effrænæ concupiscentiæ & temeritatis. Pingitur, inquit, adolescens equo indomito insidens, à quo in omnes partes raptatur & jactatur. Huic occurrit quidam, quærens quò tam præceps abeat? respondet eques, equum digito demonstrans: *Quo lubet isti.* Nimirum equus effrænus est concupiscentia; eques est juvenis concupiscens, qui à suis libidinibus in varia scelera & pericula abripitur, si roges illum, *quò pergis?* respondebit: *Quò concupiscentia me rapit.* Hæc ille.

M. quoque Tullius de Officijs, accommodari potest ad equos Phaëthontis. Equos, inquit, propter crebras contentiones, præliorum ferocitate exultantes, domitoribus tradere solent, ut ijs facilioribus possint uti. Sic homines secundis rebus efferatos, sibi præfidentes, in gyrum rationis & doctrinæ duci oportet, ut perspicacius rerum humanarum imbecillitatem, varietatémque fortunæ ferre queant.

IV. (d) Eleganter Scriptor quidam religiosus Phaëthontis incendium & ruïnã transfert ad vitia linguæ. Celeritatem, ait, Linguæ spectas? planè Phaëthon est; cœlum & terram momento brevi pervolat: quâ impetus agit, hæc sine lege ruit. Horribilia Linguæ præcipitia intueris? ipsissimus est Phaëthon; seipsam & unâ secum plurimos quotidie

(d) *Vitia lingua.*

die præcipitat. In Lingua vim nocendi consideras? rapidissimus ignis, Phaëthon est verissimus. Innumera nocumenta cogitas? Orbem terrarum perdit, vastat, incendit, Orbis est exitium. Nec cælo parcat, flammæ suas & in ætra spargit, superos, beatosque Cœlites, Deum ipsum laceffit. Nulla nocendi vi Phaëthonte inferior est. Quinimo terras penetrat, & ipsum quoque Tartarum, ipsos etiam manes ignibus suis involvit. Drexelius de Vitijs Lingua.

V. Epitaphium quoque Phaëthontis doctrinam suppeditat, quod hoc est:

(e) Hic situs est Phaëthon currus auriga paterni,
Quem si non tenuit, magnis tamen excidit ausis.

Vsurpandum in eos, qui grandia conantur, medijs tamen in conatibus deficiunt. Politianus adolescens (ut hoc exempli causâ adducam) Homerum donare latino carmine instituerat. Quo conatu suo, cum paulò insolentiùs gloriaretur, & eruditorum iudicia exquireret, Cardinalis Papiensis jocose ludens, ei in hæc verba rescripsit: Censeo operam inchoatam non esse deserendam: si enim non assequeris, quod affectas, æqualis tamen tui Phaëthontis laudem invenies, ut idem de suscepto à te Homero, quod de suscepto ab illo curru solari dicatur: *Quem si non tenuit, magnis tamen excidit ausis.*

(e) *Invenit conatus.*

SYMBOLUM XIII.

Argus centoculus sopitus & interfectus.

1. *Metam.*

Ethicè.

1. Fucata eloquentia. 2. Puellarum custodia. 3. Puellarum levitas, & sera poenitudo.

INter alia pudenda Jovis facta, quæ cœlicolis ipsum terrigenisque infamiam reddiderunt, etiam libido fuit, qua *Ionem*, Inachi fluvij filiam, fœdè deperit. Flagitium subodorata Juno, Jovis uxor, in graves, ut patet erat, iras exarsit. Iupiter pellicem oculis iracundæ conjugis subducurus, eam transformavit in juveneam, Juno tamen suspicata